

C O L L E G I V M Salmanticense.

OBITT Salmanticae frater unus Theologice studiosus . admissi alij non nulli . exercitatio-
nibus spiritualibus non pauci exculti . ex ijs adole-
scens nobilis sub ipsis nuptijs studiose , accurateq.
diuina meditatus , rei fructum persensit , ut ipse te-
stabatur ; cum paucis à nuptijs mensibus , ad exitum
vitae peruenisset . Alter e prima Academiae no-
bilitate , cum Dei ad sanctiora se vocantis inter-
nam admonitionem percepisset , concione permotus ,
quam de Christi nece à nostro sacerdote audiebat ,
flexus in genua voto se religionis obligauit ; illoq.
ipso die recta ex nostris aedibus ad eius , quam vo-
to conceperat , familiae coenobium se contulit . Erat
nostris aedibus area publica coniuncta , quam
etiam via publica interse abat . ea si nostri iuris es-
set , valde nostris usibus esset opportuna : sed diffi-
cile videbatur , illius usu , & viae commeatu pri-
uare ciuitatem . Benigna tamen ciuitas , & nostri
studiosa , non graue duxit eam nostris precibus con-
cedere . Excusum ad opida vicinitatis huius ma-
xima: confessiones innumerabiles auditae dissiden-
tes multi reconciliati : & lucra iniusta restitura .

C O L L E G I V M Compostellanum.

HABEMVS , & in Compostellano Colle-
gio Seminarium alterum eorum , qui se ad
eloquen-

eloquentiam exercent. Eius hic alumnos disciplinae habemus octo. exercentur accurate: ingenij, studijq. sui declamationibus, interpretationibus, alijsq. id genus exercitationibus specimen praebent. prima vero illorum cura est, fructus pietatis: in cuius ita studium incumbunt; ut tirocinij disciplinam continuare videantur. At texam huic loco scholarum reliqua, tenuem quidem, ac leuem appendicem, sed quae magnorum contineat seminabonorum. Rogatu Archiepiscopi elementarios suscepimus erudiendos, eiusq. rei causa eiusdem liberalitate Antistitis, duas exedras extruximus, quibus pueri excipiuntur, legere docentur, & scribere, & rudimenta Arithmetices: quibus rebus maxime tenuiorum indiget multitudo. Confluunt ad scholas non urbani solum, sed pagani etiam decim, duodecimq. leucis. Non desuero instio, ut fieri solet, aduersarij: sed probata ciuitati utilitate, irrito conatu destitere. nam sincerae animulae Christianae fidei rudimentis imbuuntur: quae cum in schola didicere, domi ipsi docent alios: ita sensim divini cultus initia per tenerae aetatis pueros in familias inseruntur, ac propagantur. Studium audiendi sacra, rosaria percurrente, aliquafacit ratus. aliasq. psas consuetudines a pueris imbibunt adulti. & iam, postea quam nosci puerilem hanc institutionem suscepere, canticulae turpiores per vicos, & plateas obticuere. haec siquidem ciuitati uniuersae multo maioris momenti visa sunt, quam quae ab aduersarijs obtendebantur. quin ipsi aduersarij res utilitatem admirantur. Maiores etiam, quam pro facultate, ipsi pueri suscepere spiritus, maioraq. ausi sunt, quam per actum posse videbantur: nam pumilioes, instar gigantium sal-

tare didicere: Comoediam de sacro sancta Eucharistia, quibus ferijs ea solemnia celebrantur, in scena egerunt, spectante Archiepiscopo, uniuersaq. ciuitate: & plausum tulere, & admirationem. praeclarum sane specimen in tam molli aetate ingeniorum; nec minus institutorum industria laudanda. & habet haec quoque popularitas ad maledicorum ora obstruenda magnam vim. Ad ordinarias superiorum annorum conciones postulauere Quaestores fidei, ut aliam sibi quadragenario tempore, quaque saltem hebdomada semel adderemus. Per idem tempus quarta, & sexta feria ad eos, qui Academiam frequentant, aliosq. confluentes, de pietate disputatum, arguento petito ex sanctorum virorum historia: secundum eam disputacionem psalmus quinquagesimus lugubri harmonia canebatur: cantus comitabantur verberatio. Excursum in remotiores terras, à cultu, & commercio se junctas: rudesq. populi magnam nostris hominibus de se bene merendi occasionem praebuere. Anni sterilitas attulit insalubritatem; multiq. tum ciues, tum externi graui morbo laborarunt; ut non animis solum, sed etiam corporibus à nobis aegri remedia exigerent: neque nostri opem suam indigentibus, etiam supra collegij facultates denegarunt. sed ne illi quidem contagionis expertes fure. omnes enim ad unum decubuere. quatuor praecipue periculose aegrotarunt; qui tandem Dei beneficio conualuere. & fuit sane post tot pericula, haec incolumentas opportuna, ad opem nostris fereandam, qui huc è regia classe, afflita, valetudine se receperunt; nam haud ita multo post classis importum Ferrulensem, non procul ab hac urbe, secepit hiatum, è qua nostros aegrotos huc trans-

portan-

portando curauimus. tres tamen in ipso portu,
 t' ante quam us possemus opem ferre, praecurrente vi
 morbi celeritati nunciorum diem suum obire:
 P. Laurontius Figueroa, P. Didacus Abulensis &
 Ioannes Anglus frater adiunctus illis comes. Sa-
 cordiem alium e Toletana Provincia sedo naufra-
 gio tempestas absorpsit. qui tamen potuisse in
 aliud nauigium transcendere, quo inuitabatur, &
 periculum uitare; ne tamen vellores suae nauis
 extremam opem in ipso mortis turbine postulantes
 desereret generosa animi magnitudine, & inui-
 ita caritate se ipsum dedit in discrimen. Qui huc
 se receperunt afflictam recrearunt illi quidem va-
 letudinem: sed morbi adhuc reliquias haerentibus
 nondum plane conualuere. Unus ex Betica Pro-
 vincia sacerdos magno nostro, classiariorumq. dolo-
 re extensus est: erat enim ob egregiam virtutem
 classis Praefecto Martino Padillae, nostrae Socie-
 tatis amantissimo percarus. Domi exaedificata
 sunt cubicula aliqua, & triclinium absolutum.
 nunc in summa aedium parte menianum cum per-
 gula extruebatur, ad coeli, agriq. prospectum,
 & ad amenitatem, hilaritatemq. fatigatorum;
 praesertim si quando diebus feriatis nostri pluviis,
 quae frequentes esse solent in hac terra, domo exire
 prohibentur. Leuatum est etiam Collegium pen-
 sione, quam ex parte nostri censur diuendita quo-
 tannis persoluebat, pretio emptori restituto.
 Laudanda prosector diuina bonitas, quod tot in-
 commodis afflictis, impensa etiam aedificationis
 grauatis, facultas quoque aeris alieni dissolu-
 di suppeditauerit.